



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

8. Dies Janvarii. Nostrum est velle, sed voluntas ipsa & admonetur ut
surgat, & sanatur ut valeat, & dilatatur ut capiat, & impletur ut habeat.

Aug. de Viduit.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

reum odii omnium, & quod sequitur, supplicii sem-
piterni. Non possum nec ego dicendo efferre, nec
tu cogitando comprehendere, quid sit inseri in ge-
nus divinum, venire in partem divinitatis, undique
infinitæ, unumq; cum eo conflare, & fieri quodam-
modo Deum. Hoc assequi cum sit suprà vires natu-
ræ, solus capit auctor naturæ. Sine hoc auxilio, (a)
*Ipsa si cupiat salus, servare prorsus non potest tuam ani-
mam. Ut ergo bonum possis, hoc bonum posce, ab
eo saepius si poposceris dabit tibi. Promptior est e-
nim Gratiam tibi dare, quam tu, vel aliis quispiam
accipere. Urget enim ut accipere velis, & irascitur si
nolis. Magni ergo fac illud donum, quod te facit
magnum, & ex humili erigit in altum: datur enim ab
eo qui ipse est donum Dei altissimi: nec est quod hic
ultrà poscas, nam si Poëtæ est fides.*

Dum influit hoc donum, confluit omne bonum.

8. DIES JANVARII.

Nostrum est velle, sed voluntas ipsa &
admonetur ut surgat, & sanatur ut va-
leat, & dilatatur ut capiat, & impletur
ut habeat. Aug. de Viduit.

Non suf- I.
ficit posse,
opus est &
velle.

Nihil potest, ut quid agas Pos-
se, nisi sequatur & Velle. Ut
quis bonum quod potest
velit, est partim naturæ hu-
manæ, partim gratiæ divinæ. Potes ergo bonum
Velle; sed nec hoc posses, nisi ut monet tessera, gratia
voluntatē & admoneret ut surgat, & sanaret ut va-
leat.

(a) Terent. Adulph.

leat. Ergò Velle bonum, habes à gratia illius, qui est summum bonum. Velle est quidam animæ motus : ab alio movetur testante Philosopho ; (a) *Omne quod movetur, ab alio movetur.* Hinc intendit cōvincere dari primū aliquod principiū , quod movet omnia, & à nullo movetur. Vin' exemplo id probari? Securus movetur à fabro, beneficio frānus, & hæc virtute brachii, brachium porrò ut se moveat, habet à corde, & nervis. In cor autem jugiter influit anima nescia feriari. Quod autem anima motū imperiat cordi, arteriis, & musculis, habet à Deo, qui stabilis, immotusque manens, dat cuncta moveri.

II. Cùm igitur animæ motiones ad naturæ referantur motus, etiam si sint suprà gradū naturæ, non potest anima se moveare, ad usus divinos , & actus cælestes, nisi moveatur ab Auctore naturæ. Enimvero omnis animi nîsus , eum dirigens ad gratiam , & gloriam, motio est : igitur ut se possit moveare, habet ab alio, (fatente id Philosopho) non à se , nec alio extrà se , igitur ab illo; qui cùm omnia movet, à nullo movetur. Hic solus qui est principiū omnis motus, animum ut agere possit , moveat, ut agere velit , permovet. Ut animus se moveat, non habet à primò mobili, sed à primò movente, in quo uno (b) *Vivimus, movemur, & sumus.* Qui autem immotus movet omnia, ut & te moveat, non tantū est cupidus, sed obvi⁹. Unde cùm opitulante gratia possis quodlibet bonū velle , si quām facile quid possis, tām serio velis, quidquid volueris, eris. Eris igitur si impēsè cupis, non tantū inter omnes, primus, sed inter omnia, summus. Agnosce hic tuā in volendo potestatē.

Potes gratiæ beneficio quidvis velle, velle porrò est se mouere: potes igitur, qui humi stratus contem-
ptibiliter repis, per minima, movendo te erigere ad
maxima. Potest te mouere à terra ad cœlum, à tem-
pore ad aeternitatem, ab humanis ad divina, à vitiis
ad virtutes, à via lata ad viam arctam, à quovis ma-
lo ad quodvis bonum.

III. Inde jam conficio; Christianæ perfectionis
cœlum in duobus polis immobiliter movetur; vide-
licet Nolle & Velle. Nolle quod Deus non vult,
velle quod vult: nolle quod lex prohibet, velle quod
jubet. Scribatur in polo Arctico, Velle, in polo An-
tarctico, Nolle, ut in his duabus polis tota lex pen-
deat & Prophetæ. Cùm enim voluntas & Velle pos-
sit, & Nolle, dū vult, quod scriptū est in lege, & non
vult quod vetitum est, jam habet quod scriptum est
in capite libri, quod est caput omnis boni. Quid il-
lud? (a) *In capite libri scriptum est de me, ut facerem
voluntatem tuam; Deus meus volui.* In omnibus fa-
cere Dei voluntatem, est pervenisse ad ultimam li-
neam fælicitatis. Dei voluntas est omnium volunta-
tum Regula: quapropter est norma recti, & forma
obliqui; quæ & deflexa corrigat, & recta dirigat:
quæ demonstret fugienda mala, & sequenda bona.
Omnia mala ex hoc fonte scaturiunt, quia voluntas
humana opponitur voluntati Divinæ. Quid a gen-
dum, ut vitia declines, virtutes festeris. Corrigatur
voluntas distorta cum recta legis regula, & habes
quod ad bonum tuum cūpit, omnia. Sit pro clau-
sula D. Augustini sententia: *Ecce tu volebas tibi ali-
quid accidere: sed Deus aliud voluit: Duæ voluntates
sunt; sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei,*

(a) *Psa. 39.8.*

non

Januar. Tessera.

21

non voluntas Dei torqueatur ad tuam. Prava est enim tua, regula est ista. Si et regula, & quod pravum est corrigitur ad regulam.

Frustrà conatur, cui non Deus auxiliatur.

9. DIES JANUARII.

Gratiâ agitur , non solum ut facienda
noverimus , sed ut cognita faciamus.

August. de grat. Christ. c. 12.

Post velle I.

Hic demum est Christianæ
& posse;
sequitur
facere.
perfectionis apex , humanæ
felicitatis vertex , bonum
quodvis quod potes , Velle ,
quod velis Facere. Et hoc fateri debes , te gratiæ de-
bere ut monet tessera . Audi , & quidvis aude : (a)
Deus qui operatur in vobis , & velle , & perficere . Qui
operatur in te velle , est Bonitas ; qui perficere , est Po-
tentia . Quid dubitas perficere , ubi ut velis , Bonitas
excitat ; ut facias , Potentia adjuvat ? Hinc jam duo
emergunt , quæ toto marte sibi repugnant . Alterum
est Christi , alterum est Pauli . Sic Christus : (b) *Sine*
menib[il] potestis facere . Sic Paulus : (c) *Omnia possum*
in eo , qui me confortat . Ecce hic gemina abyssus : Ni-
hil , Omnia . Nihil , quid minus ? Omnia , quid ma-
jus ? Nihil , quid inanius ? Omnia , quid pleniū ? Ni-
hil , quid profundiū ? Omnia , quid excelsius ? Ecce
gratiæ necessitatem , sine qua potes penitus nihil : ec-
ce gratiæ potestatem , cum qua potes divinitus om-
nia . Ex hac utraque abyso , emergunt duæ virtutes ;
quæ sunt perfectionis cardines ; summa hinc Humi-

B 2

litas ,

(a) Philip. 2.13. (b) Ioan. 15. (c) Philip. 4.13.